CONSILIUM AD EXSEQUENDAM
CONSTITUTIONEM DE SACRA LITURGIA

DESCRIPTIO
ET
SPECIMINA
OFFICII DIVINI

iuxta Concilii Vaticani II Decreta
instaurati



IN CIVITATE VATICANA
MCMLXIX

CONSILIUM AD EXSEQUENDAM
CONSTITUTIONEM DE SACRA LITURGIA

DESCRIPTIO
ET
SPECIMINA
OFFICII DIVINI

iuxta Concilii Vaticani II Decreta
instaurati



IN CIVITATE VATICANA
MCMLXIX

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

DESCRIPTIO OFFICII ROMANI

IUXTA CONCILII VATICANI II DECRETA INSTAURATI

Ad novum Breviarium conficiendum iuxta decreta a Concilio Vaticano II in Constitutione de Sacra Liturgia lata, adlaboraverunt per quatuor annos plus quam octoginta viri ex omnibus orbis partibus vocati, in re liturgica vel biblica periti qui, per duodecim coetus a studiis divisi, saepissime convenerunt. Bis vero per annum, praedicti periti, laborem suum submiserunt iis Episcopis qui a Romano Pontifice in Consilium ad exsequendam Constitutionem liturgicam delecti sunt, quique normas singulas a peritis observandas decreverant, opus vero, frequenti disceptatione habita experimentisque peractis, approbaverunt. Insuper, iubente Romano Pontifice, principia totius reformationis Officii Synodo Episcoporum anno 1967 submissa sunt, et ab ea pariter approbata.

Cum vero publici iuris fiet novum Breviarium, simul edetur *Instructio,* in qua non tantum rubricae generales, ut solet, describantur, sed etiam ratio et spiritus totius operis praebeatur, mentibusque instilletur modus fructuosae orationis. En brevis conspectus ad indolem propriam novi Breviarii illustrandam.

I. De indole generali novi Breviarii Romani

1 Novum Breviarium Romanum ea ratione compositum est ut:

a) thesaurus eius non solis presbyteris regularibusque reservaretur, sed fidelibus etiam pateret, sive in ecclesia adunentur, sive seorsum orent;

b) fieret exemplar orationis Ecclesiae, etsi non ab omnibus nec integre forsan recitabitur: sic praevidentur plura, quibus, nulla obligatione, pro opportunitate laudabiliter fruentur qui velint iuxta venerabilem christianam traditionem;

c) ditior et melior copia Sacrae Scripturae praeberetur;

d) expungerentur quae veritati aut pietati non congruerent, ratione etiam habita interpretationum in linguas vernaculas conficiendarum;

e) multis modis praevideretur quaedam flexibilitas, servata tamen essentiali structura Officii et anni liturgici;

f) mitigaretur obligatio stricte iuridica vel legalis ut meliore libertate cor in orando dilataretur;

g) praevideretur modus organice uniendi certas Officii Horas cum Missa, saltem peculiaribus in adiunctis, ut vitentur repetitiones (ex. gr. orationis, lectionis, orationis universalis) et omnia elementa aptius inter se componantur.

II. De cursu Horarum in genere

2 *a*) Invitatorium fit prima ad Deum oratio, ante eam Horam (sive Officium lectionis sive Laudes) facienda, qua mane incipiat laus divina.

3 *b*) « Laudes, ut preces matutinae, et Vesperae, ut preces vespertinae, ex venerabili traditione duplex cardo Officii quotidiani, Horae praecipuae habendae sunt et ita celebrandae » (Const. liturg., art. 89 a). Ideoque eae Horae ita instruuntur, ut faciliter possint celebrari sive a populo, in ecclesia coadunato, sive in communi a sacerdotibus, religiosis vel laicis, sive denique a solis.

4 *c*) Officium quod olim « Matutinum » nuncupabatur, deinceps vocatur « Officium lectionis », atque ita instruitur ut quacumque diei hora possit apte persolvi. Praevidetur tamen, ad utilitatem eorum qui Officium istud nocturno tempore celebrare possint, velint aut debeant, altera series

hymnorum qui eam indolem nocturnam exprimant, de qua « Constitutio liturgica », art. 89 c.

Praeterea normae proponuntur ad vigiliam, pro opportunitate, diebus dominicis et magnis festivitatibus celebrandis.

5 In Officio lectionis, ad normam eiusdem Constitutionis (art. 89) abbreviata est quidem psalmodia ut lectiones fusiores proponantur, quin tamen ipsa psalmodia supprimeretur, quia Officium est praecipue oratio laudativa.

6 *d*) Servantur in Breviario tres Horae minores, scilicet Tertia, Sexta et Nona, iuxta decretum Const. lit. art. 89 e, ne venerabilis traditio perrumpatur nec elementum haud parvi momenti vitae spiritualis derelinquatur. Attamen, distinctio instituitur inter unam Horam, ab omnibus persolvendam, et alias iis solis proponendas, qui eas celebrare velint, aut, secundum statuta particularia, debeant.

7 *e*) Completorium, utpote ultima oratio ante cubitum, paulo brevior fit, atque ita aptatur ut memoriter a quibus libuerit recitari possit.

III. De structura uniuscuiusque Horae

8 1. *Laudes,* nisi eas immediate praecedat invitatorium, introducuntur versu *Deus in adiutorium,* etc., *Gloria, Sicut erat, Alleluia.*

9 Deinde dicitur hymnus, qui initio Horae transfertur, sicut in Officio Ambrosiano, utpote cantus magis popularis suum tribuens Horae colorem proprium.

10 Postea dicitur unus e psalmis matutinalibus, unum canticum ex Vetere Testamento, denique alius psalmus inter laudativos selectus. Praeter quattuordecim cantica iam in Breviario Romano usurpata, nova copia canticorum addita est.

11 Sequitur lectio brevis, cum suo cantu responsoriali (qui etiam in recitatione privata utiliter dici potest). At loco lectionis brevis, praevidetur ad libitum lectio longior, pro opportunitate celebrationis sive cum populo sive sine populo. Non tamen visus est creandus alius circulus lectionum

ac duo illi qui iam in Missa et in Officio lectionis exstant: ex iis ergo iam exstantibus seligatur lectio in casu adhibenda, de qua, pro opportunitate, homilia fieri potest.

12 Post lectionem et responsorium, dicitur cum sua antiphona canticum Zachariae *Benedictus.*

13 Deinde inseruntur preces ad laborem Domino consecrandum, et oratio dominica.

14 Oratio conclusiva, apta festo vel diei, dicitur post orationem dominicam.

15 Hora concluditur dimissione et benedictione populi; absente vero populo, concluditur versu *Benedicamus Domino.* Commemoratio defunctorum fit in Vesperis, decursu orationis universalis.

16 2. *Officium lectionis,* nisi id immediate praecedat invitatorium, introducitur versu *Deus in adiutorium.*

17 Deinde dicitur hymnus.

18 Postea psalmodia, quae constat sive tribus psalmis brevibus, sive sectionibus psalmorum.

19 Post psalmodiam, abolentur recitatio orationis dominicae, absolutiones et benedictiones. Lectiones praecedit tantum versus biblicus, ideo selectus ut mentes ad audiendum verbum Dei praeparet.

20 Duplex legitur lectio. Altera est biblica, ex
cursu Scripturae currentis, nisi adsit lectio pro-
pria; quae lectio eiusdem est circiter longitudinis
21 cuius tres hodiernae. Lectionem sequitur suum
proprium responsorium, et quidem unicum, ita
selectum vel confectum ut lucem novam afferre
possit ad textum lectum intellegendum, vel lec-
tionem inserere in historiam salutis, vel ex Ve-
tere Testamento ad Novum adducere, vel lectio-
nem in orationem et contemplationem vertere,
ideoque etiam in recitatione a solo cum fructu
recitari.

22 Altera lectio est sive patristica sive, quando occurrit memoria Sancti, hagiographica. Lectionem illam sequitur responsorium vel de tempore vel de festo.

23 Hymnus *Te Deum* dominicis extra Quadragesimam, sollemnitatibus et festis reservatur.

24 Officium concluditur oratione diei congruente.

3. *Tertia, Sexta, Nona* seu *Hora media*

25 Hora quaelibet introducitur versu *Deus in adiutorium.* Deinde dicitur hymnus Horae congruus.

26 Psalmodia unius Horae constat psalmis in cursu psalterii signatis; qui plures Horas dicit, utitur pro aliis Horis psalmodia « complementaria », quae constat psalmis e gradualibus (119-127) selectis.

27 Lectio brevis et oratio conclusiva dicitur congrua ipsi Horae vel diei.

28 4. *Vesperae* introducuntur versu *Deus in adiutorium.*

29 Dicitur hymnus, qui initio Horae transfertur, sicut in Officio Ambrosiano, utpote cantus magis popularis, suum tribuens Horae colorem proprium.

30 Sequuntur duo psalmi Horae vespertinae congrui et apti ad celebrationem cum populo.

31 Additur unum ex septem vel octo canticis, quae ex Epistolis vel Apocalypsi delecta sunt.

32 Deinde legitur lectio brevis, cum suo cantu responsoriali, vel lectio longior, ut in descriptione Laudum dictum est.

33 Sequitur, cum sua antiphona, canticum B. M. V. *Magnificat.*

34 Dein inseritur brevis oratio universalis, quattuor vel quinque intentionibus constans, pro quibus variae proponuntur formulae. Et *Pater noster* ab omnibus dicitur.

35 Oratio conclusiva, apta festo vel diei, dicitur post orationem dominicam.

36 5. *Completorium* praecedere potest discussio conscientiae quae in celebratione communi actu quodam paenitentiali concludere pro opportunitate licet.

37 Hora vero ipsa introducitur versu *Deus in adiutorium.*

38 Sequitur hymnus qui variari potest secundum tempora anni.

39 Deinde dicitur psalmodia. Diebus dominicis alternis dicitur aut psalmus 90, aut psalmi 4 et 133. Diebus ferialibus per hebdomadam, aut resumitur psalmodia dominicae praecedentis, pro opportunitate eorum praecipue qui memoriter hanc Horam recitare desiderant, aut adhibentur psalmi de die currente, ita selecti ut conveniant orationi ante cubitum; sunt vero psalmi qui alibi iam in Breviario occurrunt, nec ideo omittuntur ab iis qui psalmos dominicae recitare maluerunt.

40 Dicitur lectio brevis, postea canticum Simeonis *Nunc dimittis* et oratio.

41 Hora concluditur una ex antiphonis B. M. V. cum sua oratione.

IV. De psalmis in Officio

42 *a*) Psalmi distribuuntur in Officio per quattuor hebdomadas, ea tamen lege, ut aliqui psalmi magis amati frequentius repetantur; Laudes, Vesperae et Completorium psalmis aptis horae diei instruutur; variatio inducitur, vitando praecipue coalescentiam psalmorum eiusdem sensus.

43 *b*) Tres psalmi, qui magis diffuse enarrant historiam salutis (pss. 77, 104, 105), reservantur temporibus sacris Adventus, Nativitatis, Quadragesimae et Paschatis.

44 *c*) Tres psalmi qui magis imprecatorii videntur (scil. 57, 82 et 108) omittuntur in cursu psalterii, ob difficultates, quae praecipue in celebratione populari occurrere possunt. Item aliqui versus duriores (qui quidem occurrunt etiam in psalmis celeberrimis) eadem ratione praetermissi sunt.

45 *d*) Ita distribuuntur et dividuntur psalmi per Horas Officii, ut psalmodia numquam excedat circiter triginta versus, et sic maiore tranquillitate spirituali recitetur.

46 *e*) Ex meliore cognitione, quae nunc habetur generis litterarii poetici proprii uniuscuiusque

psalmi, et ratione habita recitationis vel cantus in lingua vernacula, diversi proponuntur psallendi modi, quo facilius percipiatur fragrantia spiritualis et litteraria psalmorum: sic dici possunt sive in directum, sive alternis versibus, sive distinctis strophis.

47 *f*) Unusquisque psalmus vel divisio psalmi sua antiphona instruitur, quae ita delecta est ut sensum psalmi suggerat, atque in celebratione populari repeti possit post singulas strophas.

48 Plurimae antiphonae, quae in repertorio hodierno continentur, suum saporem perdunt, cum sine cantu et praecipue lingua vernacula proferuntur: ideoque quidam optant suppressionem earum. Re vero maturius perpensa, experientiaque ducti Officiorum popularium, eas retinere placuit, seu potius novas creare, quae pietatem et intellegentiam Sacrae Scripturae foveant.

49 Antiphonae enim adiuvant ad illustrandum genus psalmi litterarium; psalmum in orationem personalem vertunt; in luce meliore ponunt sententiam attentione dignam, quae secus effugeret; colorem peculiarem alicui psalmo diversis in adiunctis tribuunt; immo, dummodo excludantur arbitrariae accommodationes, multum iuvant ad interpretationem typologicam vel festivam secundum obiectivum psalmi sensum.

50 Praeterea, unicuique psalmo praemittitur titulus ad percipiendum facilius sensum psalmi et ad suggerendum quomodo fiat oratio Christi et Ecclesiae. Denique, in appendice Breviarii inveniuntur collectae, quae, iuxta antiquam traditionem, dici possunt pro opportunitate post suum quaeque psalmum.

V. De lectionibus biblicis

51 Circulus sacrae Scripturae in Officio lectionis legendae funditus instauratus est, ita ut servetur traditio certos libros certis temporibus sacris legendi (ex. gr. Isaiam tempore Adventus, Actus Apostolorum tempore paschali), ditior vero copia

praebeatur verbi Dei, meliores seligantur pericopae, ratio praeterea habeatur circuli lectionum in Missa proponendarum.

Sic, exceptis temporibus sacris, in quibus quotannis libri leguntur iuxta traditionem, circulus lectionum binis annis volvitur, sicut circulus lectionum in Missa feriali. Quo fit, ut quotannis totum Novum Testamentum legatur, partim in Missa, partim in Officio, et conspectus praebeatur totius historiae salutis alterna serie librorum Veteris Testamenti.

52 Practice novum Breviarium tribus voluminibus constabit; in primo erunt tempora sacra Adventus, Nativitatis, Quadragesimae et Paschae; in secundo et tertio, tempus per annum alternis annis.

VI. De lectionibus patristicis et hagiographicis

53 *a*) Nomine lectionis patristicae veniunt textus non solum Patrum proprie dictorum antiquitatis christianae, sed etiam auctorum diversorum temporum et regionum, etiam recentioris aetatis, selecti secundum momentum tum theologicum tum spirituale, ratione habita mentis hodiernae et indolis liturgicae Officii divini. Collectio ista lectionum erit velut anthologia meliorum paginarum spiritualitatis christianae.

54 *b*) Praeter lectiones patristicas in Breviario inserendas, colligitur amplior earum selectio, quae continebitur in *Lectionario patristico ad libitum* separatim edendo, quo uti licebit ad uberiorem doctrinam spiritualem hauriendam.

55 *c*) In Officio de Sanctis, loco lectionis patristicae erit lectio sic dicta hagiographica. In celebrandis Sanctis antiquioribus, lectiones legendariae e Breviario omnino expungentur; si adsint Acta sincera, illa sumentur; secus adhibebitur documentum patristicum, in quo forte de hoc Sancto aliquo modo agitur. De Sanctis celebratis, qui scripta reliquerunt, excerpta ex eorum scriptis saepe proponuntur. Denique, de recentioribus

Sanctis, ita conficiuntur novae lectiones non quidem ad modum meri compendii biographici, sed potius ut exhibeant spiritum quo profectus devotionis foveatur, et in luce ponant momentum illius Sancti in vita et spiritualitate Ecclesiae. Data mere biographica breviter indicantur in parva notitia, quae ad instructionem tantum proponitur, non recitanda, lectioni praemissa.

VII. De hymnis

56 *a*) Perpensis difficultatibus, et considerato art. 93 Constitutionis, post maturam deliberationem, « Consilium » putavit hymnos esse servandos in Officio, utpote elementum creationis ecclesiasticae, quod ab Officio aufert eam nimiam severitatem, quae obveniret si omnia ex sola Scriptura desumerentur.

b) Hymnorum vero latinorum facta est severa selectio ita ut meliores retinerentur traditione probati, sive in Officio hodierno exstantes, sive ex novo introducendi. Haec solutio iam est publici iuris in volumine edito Typis Polyglottis Vaticanis, anno 1968.

57 *c*) At simul eidem Consilio placuit ut via legitima aperiatur ad aptationes, immo ad novas creationes populares fovendas in linguis modernis. Ideoque Conferentiis Episcopalibus fit facultas, ad normam art. 38 Constitutionis liturgicae, aptandi ad genium propriae linguae hymnos latinos in Breviario propositos, necnon novas creationes hymnodicas introducendi.

VIII. De celebratione Sanctorum

58 1. Iuxta novum calendarium, tres sunt gradus celebrationis Sanctorum:

a) « Sollemnitates », quae ita a tota Ecclesia universali vel locali celebrari debeant, ut etiam praecedentiam habeant super dominicas per annum. Sollemnitates sunt paucissimae: inter eas

adnumeratur Natale, Assumptio B. M. V., Festum s. Ioseph, s. Ioannis Baptistae, ss. Petri et Pauli, Patroni loci, et huiusmodi.

b) « Festa », quae respondent festis II classis in hodierno calendario, quae diebus tantum per hebdomadam celebrari possunt (nisi agatur de festis Domini).

c) « Memoriae », quibus alii Sancti celebrantur. Inter memorias vero, aliae sunt « obligatoriae », scilicet ab omnibus celebrandae, aliae autem sunt ad libitum, ab iis celebrandae quibus ex devotione placuerit. Diebus enim ferialibus, extra tempora privilegiata, nisi occurrat sollemnitas, festum vel memoria obligatoria, celebrare licet memoriam cuiuslibet Sancti sive in calendario ipso Ecclesiae universalis vel localis pro hac die inscripti, sive saltem in Martyrologio hac die nominati.

59 2. Sollemnitates, sicut olim festa I classis, celebrantur cum I et II Vesperis, et cum textibus propriis ad Vesperas, Laudes, Officium lectionis, et ad Horam mediam. Completorium est de dominica.

60 3. Festa, sicut olim festa II classis, celebrantur sine I Vesperis, et cum textibus propriis ad Vesperas, Laudes et Officium lectionis.

61 4. Memoriae extra tempora privilegiata occurrentes, celebrantur fere sicut festa III classis in hodierno Breviario. Attamen hymni et lectiones breves, nisi sint proprii, dici possunt ad libitum aut de Communi Sanctorum aut de feria, ne repetitio nimis frequens eorundem textuum taedium pariat. Remanent semper propriae: oratio, lectio hagiographica, et saepissime antiphonae ad *Benedictus* et *Magnificat*.

62 5. In temporibus privilegiatis nulla fit memoria obligatoria. Ideoque nulla potest inscribi memoria obligatoria diebus quae in perpetuum impediunt celebrationem memoriae. Memoriae vero obligatoriae quae accidentaliter occurrunt cum

tempore privilegiato, fiunt eo anno memoriae ad libitum. Qui proinde voluerit celebrare, tempore privilegiato, memoriam ad libitum, addet in Officio lectionis lectionem hagiographicam de Sancto post lectionem biblicam et patristicam de tempore; praeterea, in fine aut Laudum aut Vesperarum addet antiphonam et orationem propriam de Sancto eodem fere modo quo fiunt nunc commemorationes.

IX. De facultate eligendi aliquod Officium vel aliquam eius partem

1. Lata praevidetur flexibilitas, quo melius provideatur bono spirituali eorum qui Officium recitant, cauto tamen quod serventur omnino indoles Officii et Horarum, celebratio anni liturgici, lectio praestantioris partis totius Scripturae intra praestitutum temporis circulum.

2. Nihil mutare licet in Officio dominicae, sollemnitatum et feriarum maiorum, necnon festorum Domini quae inscripta sunt in calendario universali.

3. Aliis vero diebus:

a) publica aut devotionis causa celebrari potest sive in toto sive ex parte aliquod officium votivum, ex. gr. ratione peregrinationis.

b) praevidetur aliqua facultas, certis limitibus circumscripta et servata indole uniuscuiusque temporis liturgici, alias lectiones, preces, orationes, etc. iusta de causa eligendi.

X. De obligatione Officii

a) Officium ita reformatum est, ut sit bonum totius populi Dei nec reservetur clericis aut regularibus;

b) ideoque commendanda est celebratio Officii aut saltem alicuius partis Officii omnibus coetibus fidelium, religiosorum et religiosarum, im-

mo recitatio singularis quippe quae communicatio sit cum publica Ecclesiae oratione, quae omnibus ubique dispersis det cor unum et animam unam;

66 *c*) presbyteri vero, in Officio celebrando, speciali modo munere funguntur Deum deprecandi pro populo sibi commisso ac pro tota plebe sancta Dei, « orationi et ministerio verbi instantes »; in Officio divino fontem pietatis ac orationis nutrimentum invenient. Placuit tamen ut mitius enuncietur obligatio Officii, quo suavius accipiatur et hodiernis adiunctis magis accommodetur. Sic ergo deinceps enunciatur:

67 Presbyteri quotidie Officium divinum recitent, Horarum veritate servata. Illas vero Officii divini Horas, quae cardo eiusdem sunt, idest, Laudes, uti preces matutinas (non ultra meridiem recitandas), et Vesperas, uti preces vespertinas (non ultra mediam noctem dicendas), numquam omittant, nisi gravi de causa. Exhortationi vero a Concilio Oecumenico Vaticano II factae (Const. « Dei Verbum », n. 25) de assidua lectione Sacrae Scripturae, presbyteri, non tantum per lectionem privatam, sed etiam atque aptius obsequentur, per quotidianum Officium lectionis, quod est celebratio liturgica verbi Dei, cuius omissio protracta in presbytero constitueret gravem neglegentiam.

* * *

In immenso opere instaurationis liturgicae, quod voluit et delineavit Concilium Vaticanum II, novum Breviarium, cuius summas lineas praesentare sategimus, locum occupat principem.

Dum enim authenticae traditionis testis fidelis manet, Officium divinum apparet tamen nunc forma iuniore donatum, simplificatum, legitimis desideriis cleri et populi christiani accommodatum.

Omnes qui, una cum communitate fratrum, vel soli, christianum munus precationis Horarum adimplere exoptant, in iis, absque dubio inve-

nient fidei alimentum, spei sustentaculum, expressionem amoris et devotionis.

Utinam Deus concedat ut ubique, in parvis paroecialibus ecclesiis vel in magnis sanctuariis, in christianis domibus sicut in coetibus operum apostolicorum, floreant et succrescant hae formae liturgicae orationis, quae bene respondent optatis Apostoli: « Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Deo » (*Eph* 5, 19).

In Speciminibus quae sequuntur exempla praebentur Officii duorum dierum: alterius quidem in quo fit memoria obligatoria de Sancto, alterius vero in quo fit Officium de feria.

SPECIMINA OFFICII DIVINI

Introductio Officii

primæ parti Officii diei semper præponenda

℣. Dómine, lábia mea apéries.
℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam.
Glória Patri. Allelúia.

INVITATORIUM

Die 1 febr. Sabbato - Memoria S. Ignatii.

Vel de Sancto: Regem mártyrum Dóminum, * veníte adorémus.

Vel de feria: Pópulus Dómini, et oves páscuæ eius: * veníte adorémus.

Die 3 febr. Feria II hebd. IV « per annum » - De ea.

De feria: Veníte, * exsultémus Dómino. †

Psalmus 94

Veníte, exsultémus Dómino,
† acclamémus Petræ salútis nostræ:
accedámus in conspéctum eius cum láudibus,
cum cánticis exsultémus ei.
Repetitur invitatorium.

Nam Deus magnus est Dóminus,
et Rex magnus super omnes deos:
in manu eius sunt profúnda terræ,
et altitúdines móntium ipsíus sunt.
Repetitur invitatorium.

Ipsíus est mare: nam ipse fecit illud,
et terra sicca, quam formavérunt manus eius:
veníte, adorémus et procidámus,
et génua flectámus Dómino qui fecit nos.

Nam ipse est Deus noster,
  nos autem pópulus páscuæ eius et oves manus eius.
Repetitur invitatorium.

Utinam hódie vocem eius audiátis:
  « Nolíte obduráre corda vestra ut in Meríba,
  ut die Massa in desérto,
ubi tentavérunt me patres vestri,
  probavérunt me, etsi víderant ópera mea.
Repetitur invitatorium.

Quadragínta annos tǽduit me generatiónis illíus,
  et dixi: Pópulus errans corde sunt,
  et non novérunt vias meas.
Ideo iurávi in ira mea:
  Non introíbunt in réquiem meam ».
Repetitur invitatorium.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.
Sicut erat in princípio, et nunc, et semper,
  et in sǽcula sæculórum. Amen.
Repetitur invitatorium.

Die 1 februarii

S. Ignatii Antiocheni
Episcopi et Martyris

Memoria

AD OFFICIUM LECTIONIS

INTRODUCTIO HORÆ

℣. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Allelúia.

Nisi præmittenda sit introductio totius Officii, p. 19.

HYMNUS

Vel de Sancto

Beáte martyr, próspera
diem triumphálem tuum,
quo sánguinis merces tibi
coróna vincénti datur.

Hic te ex tenébris sǽculi,
tortóre victo et iúdice,
evéxit ad cælum dies
Christóque ovántem réddidit.

Nunc angelórum párticeps
collúces insígni stola,
quam testis indomábilis
rivis cruóris láveras.

Adésto nunc et pércipe
voces precántum súpplices,
nostri reátus éfficax
orátor ad thronum Patris.

Miserére nostrárum precum,
placátus ut Christus suis
inclínet áurem prósperam
noxas nec omnes ímputet.

Paulísper huc illábere
Christi favórem déferens,
sensus graváti ut séntiant
levámen indulgéntiae.

Honor Patri cum Fílio
et Spíritu Paráclito,
qui te coróna pérpeti
cingunt in áula glóriæ.

Vel de feria

mane

Summæ Deus cleméntiæ
mundíque factor máchinæ,
unus potentiáliter
trinúsque personáliter,

Nostros piis cum cánticis
fletus benígne súscipe,
quo corde puro sórdibus
te perfruámur lárgius.

Lumbos iecúrque mórbidum
adúre igni cóngruo,
accíncta ut sint pérpetim
luxu remóto péssimo,

Ut, quique horas nóctium
nunc concinéndo rúmpimus,
donis beátæ pátriæ
ditémur omnes áffatim.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
cum Spíritu Paráclito
regnans per omne sæculum.

in die

Auctor perénnis glóriæ,
qui septifórmis grátiæ
das Spíritum credéntibus,
assíste mitis ómnibus.

Expélle morbos córporum,
mentis repélle scándalum,
exscínde vires críminum,
fuga dolóres córdium.

Serénas mentes éffice,
opus honéstum pérfice,
preces orántum áccipe,
vitam perénnem tríbue.

Septem diérum cúrsibus
nunc tempus omne dúcitur;
octávus ille últimus
dies erit iudícii,

In quo, Redémptor, quǽsumus,
ne nos in ira árguas,
sed a sinístra líbera,
ad déxteram nos cólloca:

Ut, vota cum suscéperis
clemens tuárum plébium,
reddámus omnes glóriam
trino Deo per sǽcula.

PSALMODIA

1 Psalmus 106

Gratiarum actio propter liberationem e periculis

Verbum misit Deus filiis Israel annuntiare pacem per Iesum Christum (Act 10, 36)

Ant. Clamavérunt ad Dóminum: * et a tribulatiónibus eórum erípuit eos.

Celebráte Dóminum, quóniam bonus, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Sic dicant qui redémpti sunt a Dómino, *
quos redémit de manu inimíci,

Quosque congregávit ex terris,
ex oriénte et occásu, *
ex aquilóne et austro.

Erravérunt in desérto, in solitúdine, *
viam ad civitátem habitábilem non invenérunt.

Esuriébant et sitiébant, *
vita eórum deficiébat in ipsis.

Et clamavérunt ad Dóminum in angústiis suis; *
a tribulatiónibus eórum erípuit eos.

Et duxit eos via recta, *
ut venírent in civitátem habitábilem.

Grátias agant Dómino pro misericórdia eius, *
et pro mirabílibus eius erga fílios hóminum,

Quia satiávit ánimam famélicam, *
et ánimam esuriéntem implévit bonis.

Sedérunt in ténebris et in obscúro, *
ligáti miséria et ferro.

Nam rebelláverant contra elóquia Dei, *
et despéxerant consílium Altíssimi.

Et humiliávit ærúmnis cor eórum, *
vacillárunt nec fuit qui subveníret.

Et clamavérunt ad Dóminum in angústiis suis; *
a tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Et edúxit eos e ténebris et ex obscúro, *
et víncula eórum disrúpit.

Grátias agant Dómino pro misericórdia eius, *
et pro mirabílibus eius erga fílios hóminum,

Quod confrégit portas ǽreas *
et vectes férreos contrívit.

Ægrotábant propter iniquitátem suam, *
et propter delícta sua affligebántur;

Omnem escam abominabátur ánima eórum, *
et appropinquavérunt ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum in angústiis suis; *
a tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, ut sanáret eos, *
et ex intéritu eríperet eos.
Grátias agant Dómino pro misericórdia eius, *
et pro mirabílibus eius erga fílios hóminum.
Et sacríficent sacrifícia laudis, *
et enárrent ópera eius cum exsultatióne.

Ant. Clamavérunt ad Dóminum: et a tribulátionibus eorum erípuit eos.

2 Psalmus 106[2]

Ant. Hi vidérunt ópera Dómini, * et mirabília eius.

Qui descénderant návibus in mare, *
mercatúram factúri in aquis magnis,
Hi vidérunt ópera Dómini, *
et mirabília eius in pélago.
Dixit, et concitávit ventum procellósum, *
qui in altum éxtulit undas eius.
Ascendébant usque ad cælos,
descendébant usque ad ima; *
ánima eórum tabescébat in malis.
Titubábant et nutábant ut ébrii; *
et absórpta est omnis perítia eórum.
Et clamavérunt ad Dóminum in angústiis suis, *
et e tribulatiónibus eórum edúxit eos.
Sedávit procéllam in auram lenem, *
et conticuérunt fluctus maris.
Et lætáti sunt, quod siluérunt, *
et dedúxit eos in portum optátum.
Grátias agant Dómino pro misericórdia eius, *
et pro mirabílibus eius erga fílios hóminum.
Et célebrent eum in cœtu pópuli, *
et in conséssu seniórum laudent eum.

Ant. Hi vidérunt ópera Dómini, et mirabília eius.

Lectio altera

Lectio hagiographica de S. Ignatio

(Nota biographica non legenda in Officio)

Ignatius, secundus post Petrum, Ecclesiam rexit Antiochenam. Ad bestias damnatus, Romam delatus est ibique sub Traiano imperatore glorioso martyrio a. 107 coronatus est. Eius corpus Antiochiam translatum extra portam Daphniticam sepultum fuit. In itinere septem scripsit epistulas ad diversas Ecclesias, in quibus de Christo, de Ecclesiae constitutione et de vita christiana sapienter et erudite agit. Inter eas eminet illa ad Romanos *directa, cuius excerpta hic proponuntur:* Funk, I, pp. 253-263.

Ignátius qui et Theóphorus, Ecclésiæ misericórdiam consecútæ in magnificéntia Patris altíssimi et Iesu Christi Fílii eius únici, Ecclésiæ diléctæ et illumínátæ voluntáte eius qui vult ómnia quæ sunt secúndum caritátem Iesu Christi, Dei nostri, quæ etiam prǽsidet in loco regiónis Romanórum, plúrimam in Iesu Christo Deo nostro et intaminátam opto salútem.

Némini unquam invidístis, álios docuístis. Ego vero illa quoque firma esse volo quæ docétis et præcípitis. Vires tantum mihi et intérnas et extérnas pétite, ut non solum loquar, sed et velim; ut non solum dicar christiánus sed et invéniar. Obsecro vos, ne intempestívam mihi benevoléntiam exhibeátis. Sínite me ferárum cibum esse, per quas Deum cónsequi licet. Fruméntum sum Dei et per ferárum dentes molor, ut mihi sepúlcrum fiant, nihílque mei córporis relínquant. Christum per me supplicáte ut per hæc instruménta Deo hóstia invéniar.

Véniam mihi date, quid mihi prosit ego novi. Nunc incípio discípulus esse. Nulla res, tam eárum quæ visíbiles sunt, quam eárum quæ sub óculos non cadunt, ánimum meum cápiat, ut Iesu Christo possim potíri. Ignis et crux et ferárum conflíctus, laceratiónes, distractiónes, disiunctiónes óssium, concísio membrórum totíus córporis, contusiónes, dira diáboli torménta in me véniant, solúmmodo ut Iesum Christum cónsequar.

Nihil mihi próderunt mundi fines neque huius terræ imperáre. Illum quæro qui pro nobis mórtuus est, illum volo qui propter nos resurréxit. Concédite mihi

imitatórem esse passiónis Dei mei. Si quis illum in seípso habet, intéllegat quid velim et commisereátur mei, sciens quæ me coárctent.

Vivens enim scribo vobis mori desíderans. Amor meus crucifíxus est nec est in me ignis matériæ amans, sed aqua vivens et lóquens in me est, mihi intérius dicens: veni ad Patrem. Non deléctor aliménto corruptíbili neque voluptátibus huius mundi. Panem Dei volo, qui est caro Iesu Christi, qui ex sémine David factus est, et potum volo sánguinem ipsíus, qui est cáritas incorruptíbilis.

Nolo ámplius secúndum hómines vívere. Iesus Christus vobis hæc patefáciet quod vera loquor: ipse os verax, in quo Pater vere locútus est. Pétite pro me ut cónsequar. Non secúndum carnem sed secúndum mentem Dei vobis scripsi. Verum misericórdiam consecútus sum ut essem áliquis, si Deum cónsequar.

Responsorium — Ex Epistolis S. Ignatii

Nihil vos latet, si perfécte habuéritis in Iesum Christum fidem et caritátem, quæ inítium vitæ et finis sunt. * Princípium quidem fides, finis vero cáritas. ℣. Mansuetúdinem ítaque assuméntes regeneráte vosmetípsos in fide quæ est caro Dómini, et in caritáte quæ est sanguis Iesu Christi. * Princípium quidem.

CONCLUSIO

℣. Dóminus vobíscum vel Dómine, exáudi.

Orémus — Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui sanctórum mártyrum confessiónibus Ecclésiæ tuæ sacrum corpus exórnas,

concéde, quǽsumus, ut hodiérna glória passiónis, sicut beáto Ignátio magnificéntiam tríbuit sempitérnam,

ita nobis perpétuum munímen operétur.

Per Dóminum.

℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

AD LAUDES

INTRODUCTIO HORÆ

℣. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Allelúia.

Nisi præmittenda sit introductio totius Officii, p. 19.

HYMNUS

Vel de Sancto

Martyr Dei, qui únicum
Patris sequéndo Fílium
victis triúmphas hóstibus,
victor frúens cæléstibus,

Tui precátus múnere
nostrum reátum dílue
arcens mali contágium,
vitæ repéllens tǽdium.

Solúta sunt iam víncula
tui sacráti córporis;
nos solve vinclis sǽculi
amóre Fílii Dei.

Honor Patri cum Fílio
et Spíritu Paráclito,
qui te coróna pérpeti
cíngunt in aula glóriæ.

Vel de feria

Auróra iam spargit polum,
terris dies illábitur,
lucis resúltat spículum:
discédat omne lúbricum.

Phantásma noctis décidat,
mentis reátus súbruat,
quicquid tenébris horrida
nox áttulit culpæ, cadat,

Ut mane illud últimum,
quod præstolámur cérnui,
in luce nobis éffluat,
dum hoc canóre cóncrepat.

Deo Patri sit glória
eiúsque soli Fílio
cum Spíritu Paráclito,
nunc et per omne sǽculum.

PSALMODIA

1. Psalmus matutinalis

Psalmus 118 Coph

Præveniunt oculi mei vigilias noctis
ut mediter eloquium tuum

Ant. Clamo ad te * et custódiam præscrípta tua.

Clamo ex toto corde meo: exáudi me, Dómine; *
statúta tua obsérvo.
Clamo ad te; salvum me fac, *
et custódiam præscrípta tua.
Vénio dilúculo et auxílium implóro; *
spero in verba tua.
Prævéniunt óculi mei vigílias noctis, *
ut méditer elóquium tuum.
Vocem meam audi secúndum misericórdiam tuam, Dómine, *
et secúndum decrétum tuum da mihi vitam.
Appropínquant persequéntes me iníque; *
a lege tua longe absunt.
Prope es tu, Dómine, *
et ómnia mandáta tua fidélia.
Pridem cognóvi ex præscríptis tuis *
te in ætérnum fundásse ea.

Ant. Clamo ad te et custódiam præscrípta tua.

2 Canticum ex Vetere Testamento

Sap 9, 1-12

Ant. Mitte sapiéntiam de cælis tuis * ut mecum sit et mecum labóret.

Deus, patrum meórum et Dóminus misericórdiæ, *
qui fecísti ómnia verbo tuo,
Et sapiéntia tua constituísti hóminem, *
ut dominarétur creatúræ, quæ a te facta est,
Ut dispónat orbem terrárum in æquitáte et iustítia, *
et in directióne cordis iudícium iúdicet,
Da mihi sédium tuárum assistrícem sapiéntiam *
et noli me reprobáre a púeris tuis,
Quóniam servus tuus sum ego et fílius ancíllæ tuæ *
homo infírmus et exígui témporis
et minor ad intéllectum iudícii et legum.
Nam et si quis erit consummátus inter fílios hóminum, *
si ab illo abfúerit sapiéntia tua
ad níhilum computábitur.
Tu elegísti me regem pópulo tuo *
et iúdicem filiórum et filiárum,
Et dixísti me ædificáre templum in monte sancto tuo
et in civitáte habitatiónis tuæ altáre, *
similitúdinem tabernáculi sancti tui
quod præparásti ab inítio.
Et tecum sapiéntia tua, quæ novit ópera tua, *
quæ et áffuit tunc, cum orbem terrárum fáceres,
Et sciébat, quid esset plácitum óculis tuis, *
et quid diréctum in præcéptis tuis.
Mitte illam de cælis tuis et a sede magnitúdinis tuæ, *
ut mecum sit et mecum labóret,
ut sciam quid accéptum sit apud te.
Scit enim ómnia et intéllegit,
dedúcet me in opéribus mei sóbrie, *
et custódiet me in sua poténtia.
Et erunt accépta ópera mea,
et dispónam pópulum tuum iuste, *
et ero dignus sédium patris mei.

Ant. Mitte sapiéntiam de cælis tuis ut mecum sit et mecum labóret.

3. Psalmus laudativus

Psalmus 116

Invitatio ad hymnum laudis

Dico ... gentes super misericordia honorare Deum
(Rom 15, 8. 9)

Ant. Fidélitas Dómini * manet in ætérnum.

Laudáte Dóminum, omnes gentes, *
praedicáte eum, omnes pópuli,
Quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius, *
et fidélitas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Fidélitas Dómini manet in ætérnum.

LECTIO BREVIOR

Loco huius lectionis brevis, fieri potest lectio longior pro opportunitate celebrationis sive cum populo sive sine populo, eligenda e lectionibus quæ statuuntur pro Missa aut pro Officio lectionis.

Vel de Sancto 2 Cor 1, 3-7

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra, ut possímus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatiónem qua exhortámur et ipsi a Deo; quóniam sicut abúndant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abúndat consolátio nostra. Sive autem tribulámur pro vestra exhortatióne et salúte, sive consolámur pro vestra consolatióne, sive exhortámur pro vestra exhortatióne et salúte quæ operátur toleràntiam earúndem passiónum quas et nos pátimur: ut spes nostra firma sit pro vobis, sciéntes quod, sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis.

Responsorium breve

℟. Glória et honóre * Coronásti eum, Dómine. Glória.

℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti.

Glória Patri. Glória et honóre.

Vel de feria Phil 2, 14-15

Omnia fácite sine murmuratiónibus et hæsitatiónibus, ut sitis sine queréla et símplices fílii Dei, sine reprehensióne in médio natiónis pravæ et pervérsæ, inter quos lucétis sicut luminária in mundo.

Responsorium breve

℟. Sana ánimam meam, * quia peccávi tibi. Sana.
℣. Ego dixi: Dómine, miserére mei. Quia.

Glória Patri. Sana ánimam.

CANTICUM ZACHARIÆ Luc 1, 68-79

Ant. Illum quæro, * qui pro nobis mórtuus est; illum volo, qui propter nos resurréxit.

(Ex Epist. S. Ignatii)

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, *
quia visitávit et redémit pópulum suum,
Et eréxit cornu salútis nobis *
in domo David servi sui,
Sicut locútus est per os sanctórum, *
qui olim fuérunt, prophetárum suórum:
Ut liberáret nos ab inimícis nostris, *
et e manu ómnium qui odérunt nos,
Ut fáceret misericórdiam cum pátribus nostris, *
et recordarétur fœderis sui sancti:
Iurisiurándi, quod iurávit Abrahæ, patri nostro, *
datúrum se nobis,

Ut sine timóre,
e manu inimicórum nostrórum liberáti, *
serviámus illi,
In sanctitáte et iustítia coram ipso *
ómnibus diébus nostris.
Et tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis: *
præíbis enim ante fáciem Dómini
ad parándas vias eius,
Ad dandam pópulo eius sciéntiam salútis *
in remissióne peccatórum eórum,
Per víscera misericórdiæ Dei nostri, *
qua visitábit nos Oriens ex alto,
Ut illúminet eos,
qui in ténebris et in umbra mortis sedent, *
ut dírigat pedes nostros in viam pacis.

Ant. Illum quæro, qui pro nobis mórtuus est; illum volo, qui propter nos resurréxit.

PRECES CONCLUSIVÆ

℣. Dóminus vobíscum vel Dómine, exáudi.

In recitatione a solo, omittitur monitio introductoria.
In celebratione cum populo vel repetitur, post singulas invocationes, responsio invariabilis, quae proponitur monitione introductoria; vel dicitur, tamquam responsio, altera pars invocationis.
Licet mutare monitionem introductoriam et responsionem invariabilem. Ad intentiones propositas unam vel duas alias intentiones particulares addere fas est.

Orémus, fratres caríssimi, Deum Patrem omnipoténtem, qui preces filiórum suórum propítius semper audit, et ei dicámus: *Adiuva nos, Deus, salutáris noster.*

Dómine, Pater univérsi, qui nos ad princípium huius diéi perveníre fecísti,
in laudem glóriæ tuæ fac nos hódie cum Christo vívere.

Fidem, spem et caritátem, quas córdibus nostris infudísti,
in nobis semper manére concéde.

Infirmitátem nostram réspice, et in adiutórium nostrum veni,
quia sine te nihil póssumus fácere.

Qui nos hódie ad tuum servítium vocas,
erga fratres, multifórmis grátiæ tuæ fac nos minístros.

Pater noster, ab omnibus clara voce dicendum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui sanctórum mártyrum confessiónibus Ecclésiæ tuæ sacrum corpus exórnas,
concéde, quǽsumus, ut hodiérna glória passiónis, sicut beáto Ignátio magnificéntiam tríbuit sempitérnam,
ita nobis perpétuum munímen operétur.
Per Dóminum.

Si Officium celebratur cum populo, sacerdos populum benedicit more consueto.

In recitatione a solo:

℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

AD HORAM MEDIAM

INTRODUCTIO

℣. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Allelúia.

HYMNUS

Eligendus iuxta tempus quo Officium celebratur.

Ad Tertiam

Certum tenéntes órdinem,
pio poscámus péctore
hora diéi tértia
trinæ virtútis glóriam,

Ut simus habitáculum
illi Sancto Spirítui,
qui quondam in Apóstolis
hac hora distribútus est.

Hoc gradiénte órdine,
ornávit cunctos spléndide
regni cæléstis cónditor
ætérnæ vitæ præmiis.

Deo Patri sit glória
eiúsque soli Fílio
cum Spíritu Paráclito,
nunc et per omne sæculum.

Ad Sextam

Dicámus láudes Dómino
fervénte prompti spíritu;
hora volúta séxies
nos ad orándum próvocat;

In hac enim fidélibus
veræ salútis glória
beáti Agni hóstia
crucis virtúte rédditur.

Cuius luce claríssima
tenébricat merídies,
sumámus toto péctore
tanti splendóris grátiam.

Deo Patri sit glória
eiúsque soli Fílio
cum Spíritu Paráclito,
nunc et per omne sæculum.

Ad Nonam

Ternis horárum términis
volútis iam in Dómino,
trinum perfécte et únicum
ipsum devóti psállimus.

Sacrum Dei mystérium
puro tenéntes péctore,
Petri magístri régula
signo sálutis pródita,

Et nos psallámus spíritu,
hæréntes sic Apóstolis,
ut plantas adhuc débiles
Christi virtúte dírigant.

Deo Patri sit glória
eiúsque soli Fílio
cum Spíritu Paráclito,
nunc et per omne sæculum.

PSALMODIA

1 Psalmus 118 Ain

Ant. Magnificáte Dóminum mecum; * et extollámus nomen eius simul.

Exércui ius et iustítiam: *
noli me trádere oppriméntibus me.
Sponde pro servo tuo in bonum, *
ne ópprimant me supérbi.
Oculi mei defíciunt desidério auxílii tui, *
et iusti elóquii tui.
Fac cum servo tuo secúndum bonitátem tuam, *
et statúta tua doce me.
Servus tuus sum ego, ínstrue me, *
ut cognóscam præscrípta tua.
Tempus agéndi est Dómino: *
violavérunt legem tuam.
Ideo díligo mandáta tua, *
plus quam aurum et obrýzum.
Ideo ómnia præcépta tua elégi mihi; *
omnem viam falsam ódio hábeo.

2 Psalmus 33[1]

De timore Dei eiusque præmio

Gustastis quoniam dulcis est Dominus (1 Petr 2, 3-4)

Benedícam Dómino omni témpore; *
semper laus eius in ore meo.
In Dómino gloriétur ánima mea: *
áudiant húmiles, et læténtur.
Magnificáte Dóminum mecum; *
et extollámus nomen eius simul.
Quæsívi Dóminum, et exaudívit me; *
et ex ómnibus timóribus meis erípuit me.
Aspícite ad eum, ut exhilarémini, *
et fácies vestræ ne erubéscant.
Ecce miser clamávit et Dóminus audívit, *
et ex ómnibus angústiis eius salvávit eum.
Castra ponit ángelus Dómini *
circa timéntes eum, et éripit eos.
Gustáte et vidéte, quam bonus sit Dóminus; *
beátus vir qui cónfugit ad eum.
Timéte Dóminum, sancti eius, *
quia non est inópia timéntibus eum.
Poténtes facti sunt páuperes et esuriérunt; *
quæréntes autem Dóminum nullo bono carébunt.

3 Psalmus 33[2]

Veníte, fílii, audíte me; *
timórem Dómini docébo vos.
Quis est homo qui díligit vitam, *
desíderat dies, ut bonis fruátur?
Cóhibe linguam tuam a malo, *
et lábia tua a verbis dolósis.
Recéde a malo et fac bonum; *
quære pacem et sectáre eam.
Oculi Dómini respíciunt iustos, *
et aures eius clamórem eórum.
Vultus Dómini aversátur faciéntes mala, *
ut déleat de terra memóriam eórum.
Clamavérunt iusti, et Dóminus exaudívit eos; *
et ex ómnibus angústiis eórum erípuit eos.

Prope est Dóminus contrítis corde, *
et confráctos spíritu salvat.
Multa sunt mala iusti; *
sed ex ómnibus éripit eum Dóminus.
Custódit ómnia ossa eius: *
non confringétur ne unum quidem.
In mortem agit ímpium malítia, *
et qui odérunt iustum puniéntur.
Dóminus líberat ánimas servórum suórum, *
neque puniétur, quicúmque confúgerit ad eum.

Ant. Magnificáte Dóminum mecum; et extollámus nomen eius simul.

CONCLUSIO

Eligenda iuxta tempus, quo Officium persolvitur.

Ad Tertiam

Lectio brevis 1 Sam 15, 22

Numquid vult Dóminus holocaústa et víctimas, et non pótius ut obediátur voci Dómini? Mélior est enim obediéntia quam víctimæ, et auscultáre magis quam offérre ádipem aríetum.

℣. Adiútor meus esto, ne derelínquas me.
℞. Neque despícias me, Deus salutáris meus.

Orémus Oratio

Sénsibus nostris, quǽsumus, Dómine, lumen sanctum tuum benígnus infúnde,
ut sibi sincéra semper simus mente devóti,
cuius sapiéntia creáti sumus, et providéntia gubernámur.
Per Christum.

Ad Sextam

Lectio brevis Os 6, 6

Misericórdiam vólui et non sacrifícium: et sciéntiam Dei plus quam holocáusta.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine.
℞. Et ab aliénis parce servo tuo.

Orémus Oratio

Exáudi nos, Dómine, et præsta pacem quam a te pétimus, consummátam,
ut, cunctis diébus vitæ nostræ tibi vacántes,
beáta María Vírgine intercedénte, ad te secúri perveníre mereámur.
Per Christum.

Ad Nonam

Lectio brevis Mich 6,8

Indicábo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dóminus requírat a te: útique fácere iudícium et dilígere misericórdiam, et sollícitum ambuláre cum Deo tuo.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit.
℟. In loco páscuæ me collocávit.

Orémus Oratio

Cunctas, Dómine, semper a nobis iniquitátes repélle propítius
ut ad viam salútis ætérnæ secúra mente currámus.
Per Christum.

℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

AD VESPERAS [1]

INTRODUCTIO

℣. Deus in adiutórium. Glória Patri. Allelúia.

HYMNUS

Vel de Sancto

Deus, tuórum mílitum
sors et coróna, prǽmium,
laudes canéntes mártyris
absólve nexu críminis.

Hic testis ore prótulit
quod cordis arca crédidit,
Christum sequéndo répperit
effusióne sánguinis.

[1] Vesperæ huius diei sunt I Vesperæ festi Præsentationis Domini; attamen hic proponuntur Vesperæ de Sancto, ut integra habeatur ordinatio Officii de memoria Sanctorum.

Hic nempe mundi gáudia
et blandiménta nóxia
cadúca rite députans,
pervénit ad cæléstia.

Pœnas cucúrrit fórtiter
et sústulit viríliter;
pro te refúndens sánguinem,
ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
te póscimus, piíssime,
in hoc triúmpho mártyris
dimítte noxam sérvulis,

Ut partem eius múneris
hæreditémur cóngrui,
lætémur in perpétuum
iuncti polórum átriis.

Vel de feria

Rerum, Deus, fons ómnium,
qui, rebus actis ómnibus,
totíus orbis ámbitum
censu replésti múnerum,

Ac mole tanta cóndita
dulcem quiétem díceris
sumpsísse, quo labóribus
et nos levémur grátius:

Concéde nunc mortálibus
deflére vitæ crímina,
instáre iam virtútibus
et munerári prósperis,

Ut cum treméndi iúdicis
horror suprémus cœperit,
lætémur omnes ínvicem
pacis repléti múnere.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
cum Spíritu Paráclito
regnans per omne sǽculum.

PSALMODIA

1 Psalmus 121

Salutatio Urbis sanctæ

Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem cælestem (Hebr 12, 22)

Ant. Propter fratres meos * et sodáles meos loquar: Pax in te.

Lætátus sum, quia dixérunt mihi: *
« In domum Dómini íbimus ».
Iam consístunt pedes nostri *
in portis tuis, Ierúsalem,
Ierúsalem quæ ædificáta est ut cívitas, *
in se compácta tota.
Illuc ascéndunt tribus, tribus Dómini, *
secúndum legem Israël,
ad celebrándum nomen Dómini.
Illic pósitæ sunt sedes iudícii, *
sedes domus David.
Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem, *
secúri sint qui díligunt te!
Sit pax in mœ́nibus tuis, *
secúritas in palátiis tuis!
Propter fratres meos et sodáles meos *
loquar: Pax in te!
Propter domum Dómini Dei nostri *
precábor bona tibi.

Ant. Propter fratres meos et sodáles meos loquar: Pax in te.

2 Psalmus 129

Deprecatio pænitentis, qui confidit in Deum

Ipse salvum faciet populum a peccatis eorum (Mt 1, 22)

Ant. Spero in Dóminum, * sperat ánima mea in verbum eius.

De profúndis clamo ad te, Dómine, *
Dómine, audi vocem meam!
Fiant aures tuæ inténtæ *
ad vocem obsecratiónis meæ.

Si delictórum memóriam serváveris, Dómine, *
Dómine, quis sustinébit?
Sed penes te est peccatórum vénia, *
ut cum reveréntia serviátur tibi.
Spero in Dóminum, *
sperat ánima mea in verbum eius;
Exspéctat ánima mea Dóminum, *
magis quam custódes auróram.
Magis quam custódes auróram, *
exspéctet Israël Dóminum,
Quia penes Dóminum misericórdia *
et copiósa penes eum redémptio:
Et ipse rédimet Israël *
ex ómnibus iniquitátibus eius.

Ant. Spero in Dóminum, sperat ánima mea in verbum eius.

3 Canticum ex Novo Testamento

Phil 2, 6-11

Ant. Humiliávit semetípsum * Dóminus Iesus, propter quod et Deus exaltávit illum in sǽcula.

Christus Iesus, cum in forma Dei esset *
non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo.
Sed semetípsum exinanívit *
formam servi accípiens.
In similitúdinem hóminum factus *
et hábitu invéntus ut homo.
Humiliávit semetípsum
factus obédiens usque ad mortem *
mortem autem crucis.
Propter quod et Deus exaltávit eum et dedit illi nomen *
quod est super omne nomen.
Ut in nómine Iesu omne genu flectátur *
cæléstium, terréstrium et infernórum.
Et omnis lingua confiteátur
quia Dóminus Iesus Christus *
in glória est Dei Patris.

Ant. Humiliávit semetípsum Dóminus Iesus, propter quod et Deus exaltávit illum in sǽcula.

LECTIO BREVIOR

Loco huius lectionis brevis, fieri potest lectio longior pro opportunitate celebrationis sive cum populo sive sine populo, eligenda e lectionibus quæ statuuntur pro Missa aut pro Officio lectionis.

Vel de Sancto 1 Petr 4, 13

Caríssimi: communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ eius gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis; quóniam quod est honóris, glóriæ et virtútis Dei, et qui est eius Spíritus super vos requiéscit.

Responsorium breve

℟. Posuísti, Dómine, * super caput eius. Posuísti.
℣. Corónam de lápide pretióso. Super.
Glória Patri. Posuísti.

Vel de feria 2 Petr 1, 19-20

Habémus firmiórem prophéticum sermónem, cui benefácitis attendéntes, quasi lucérnæ lucénti in caliginóso loco, donec dies elucéscat et lúcifer oriátur in córdibus vestris. Hoc primum intelligéntes quod omnis prophetía Scriptúræ própria interpretatióne non fit; non enim voluntáte humána alláta est aliquándo prophetía, sed Spíritu Sancto inspiráti locúti sunt sancti Dei hómines.

Responsorium breve

℟. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam.
℣. Semper laus eius in ore meo. In omni.
Glória Patri. Benedícam Dóminum.

CANTICUM B. MARIÆ VIRG. Luc 1, 46-55

Ant. Non est in me * ignis matériæ amans, sed vivens et loquens aqua mihi intérius dicens: Veni ad Patrem.

(Ex Epist. S. Ignatii)

Magníficat *
ánima mea Dóminum;
Et exsultávit spíritus meus *
in Deo salvatóre meo,
Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: *
ecce enim ex hoc beátam me dicent
omnes generatiónes,
Quia fecit mihi magna qui potens est, *
et sanctum nomen eius,
Et misericórdia eius a progénie in progénies *
timéntibus eum.
Fecit poténtiam brácchio suo; *
dispérsit supérbos mente cordis sui.
Depósuit poténtes de sede, *
et exaltávit húmiles.
Esuriéntes implévit bonis, *
et dívites dimísit inánes.
Suscépit Israël, servum suum, *
recordátus misericórdiæ suæ,
Sicut locútus est ad patres nostros, *
erga Abraham et semen eius in sǽcula.

Ant. Non est in me ignis matériæ amans, sed vivens et loquens aqua mihi intérius dicens: Veni ad Patrem.

PRECES CONCLUSIVÆ

℣. Dóminus vobíscum vel Dómine, exáudi.

Cf. Rubricam p. 35.

Orémus, fratres caríssimi, Deum Patrem omnipoténtem, qui preces filiórum suórum propítius semper audit, et ei dicámus: *Meménto nostri, Dómine.*

Deus, illuminátor noster, Ecclésiam tuam illústra lúmine tuo,
ut géntibus prædicet magnum pietátis sacraméntum, manifestátum in carne.

Sacerdótes et minístros Ecclésiæ tuæ serva,
ut cum áliis prædicáverint, fidéles in tuo servítio inveniántur.

Qui pacem mundo præstitísti per sánguinem crucis Fílii tui,
peccátum discórdiæ, et belli flagéllum avérte.

Fratres nostros defúnctos benígne accípias in civitátem sanctam,
in qua eris ómnia in ómnibus.

Pater noster, ab omnibus clara voce dicendum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui sanctórum mártyrum confessiónibus Ecclésiæ tuæ sacrum corpus exórnas,
concéde, quǽsumus, ut hodiérna glória passiónis, sicut beáto Ignátio magnificéntiam tríbuit sempitérnam,
ita nobis perpétuum munímen operétur.
Per Dóminum.

Si Officium celebratur cum populo, sacerdos populum benedicit more consueto.

In recitatione a solo:

℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

AD COMPLETORIUM

DISCUSSIO CONSCIENTIÆ

Fieri potest discussio conscientiæ, quæ concluditur actu pænitentiali.

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres,
quia peccávi nimis
cogitatióne verbo, ópere et omissióne

et percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem,
omnes Angelos et Sanctos,
et vos, fratres, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

Misereátur nostri, omnípotens Deus,
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos, ad vitam ætérnam.

℟. Amen.

INTRODUCTIO

℣. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Allelúia.

HYMNUS

Te lucis ante términum,
rerum creátor, póscimus,
ut sólita cleméntia
sis præsul ad custódiam.

Te corda nostra sómnient,
te per sopórem séntiant,
tuámque semper glóriam
vicína luce cóncinant.

Vitam salúbrem tríbue,
nostrum calórem réfice,
tætram noctis calíginem
cláritas tua illúminet.

Præsta, Pater omnípotens,
per Iesum Christum Dóminum,
qui tecum in perpétuum
regnat cum Sancto Spíritu.

PSALMODIA

1 Psalmus 120

De Deo custode fidelium

*Non esurient neque sitient amplius,
nec cadet super illos sol neque ullus æstus* (*Apoc* 7, *11*)

Ant. Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cælum et terram.

Attóllo óculos meos in montes: *
unde véniet auxílium mihi?
Auxílium meum a Dómino, *
qui fecit cælum et terram.
Non sinet nutáre pedem tuum, *
non dormitábit qui custódit te.
Ecce non dormitábit neque dórmiet, *
qui custódit Israël.
Dóminus custódit te, *
Dóminus protéctio tua a látere dextro tuo.
Per diem sol non fériet te, *
neque luna per noctem.
Dóminus custódiet te ab omni malo: *
custódiet ánimam tuam.
Dóminus custódiet éxitum tuum
et intróitum tuum, *
et nunc et usque in sǽculum.

Ant. Auxílium meum a Dómino, qui fecit cælum et terram.

2 **Psalmus 122**

Fiducia in Deum

Duo cæci... clamaverunt: Domine, miserere nostri, fili David (Mt 20, 30)

Ant. Qui hábitas in cælis, * miserére nobis.

Ad te attóllo óculos meos, *
qui hábitas in cælis.
Ecce sicut óculi servórum *
ad manus dominórum suórum,
Sicut óculi ancíllæ *
ad manus dóminæ suæ:
Ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, *
donec misereátur nostri.
Miserére nostri, Dómine, miserére nostri, *
quia multum satiáti sumus despectióne;
Multum satiáta est ánima nostra *
irrisióne abundántium, despectióne superbórum.

Ant. Qui hábitas in cælis, * miserére nobis.

LECTIO BREVIS Is 30, 15. 18

Hæc dicit Dóminus Deus: In siléntio et in spe erit fortitúdo vestra. Exspéctat Dóminus ut misereátur vestri; beáti omnes qui exspéctant eum.

Responsorium breve

℞. In manus tuas, Dómine, * Comméndo spíritum meum. In manus.
℣. Redemísti nos, Dómine, Deus veritátis. Comméndo.
Glória Patri. In manus.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi.
℞. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

CANTICUM SIMEONIS Luc 2, 29-32

Ant. Salva nos, * Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes; ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, *
secúndum verbum tuum in pace,
Quia vidérunt óculi mei *
salútem tuam,
Quam parásti *
ante fáciem ómnium populórum,
Lumen ad revelatiónem géntium *
et glóriam plebis tuæ Israël.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes; ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

CONCLUSIO

℣. Dóminus vobíscum vel Dómine, exáudi.

Orémus Oratio

Deus, qui ut témpora tempóribus cedant,
diéi noctísque iteratióne discérnis,
vísita nos, quǽsumus, hac nocte præsénti,
ut, dilúculo surgéntes,
de resurrectióne Christi tui gaudére valeámus.
Per Christum.

Benedictio

Benedícat et custódiat nos omnípotens et misericors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus. Amen.

Et dicitur immediate una ex antiphonis finalibus B. Mariæ Virginis.

Alma Redemptóris Mater, quæ pérvia cæli
Porta manes, et stella maris, succúrre cadénti,
Súrgere qui curat, pópulo: tu quæ genuísti,
Natúra miránte, tuum sanctum Genitórem,
Virgo prius ac postérius, Gabriélis ab ore
Sumens illud Ave, peccatórum miserére.

℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti.
℟. Dei Génetrix, intercéde pro nobis.

Orémus — Oratio

Deus, qui salútis ætérnæ beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri prǽmia præstitísti: tríbue, quǽsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum.

℟. Amen.

Postea subiungitur:

℣. Divínum auxílium máneat semper nobíscum.
℟. Amen.

Die 3 februarii

Feria II hebdomadæ IV « per annum »

AD OFFICIUM LECTIONIS

INTRODUCTIO HORÆ

℣. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Allelúia.

Nisi præmittenda sit introductio totius Officii, p. 19.

HYMNUS

mane

Somno reféctis ártubus,
spreto cubíli, súrgimus:
nobis, Pater, canéntibus
adésse te depóscimus.

Te lingua primum cóncinat,
te mentis ardor ámbiat,
ut áctuum sequéntium
tu, sancte, sis exórdium.

Cedant tenébræ lúmini
et nox diúrno síderi,
ut culpa, quam nox íntulit,
lucis labéscat múnere.

Precámur iídem súpplices
noxas ut omnes ámputes,
et ore te canéntium
laudéris in perpétuum.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
cum Spíritu Paráclito
regnans per omne sǽculum.

in die

Pater, Fili, Paráclite,
mala vitæ prætéritæ
dimítte nobis, quǽsumus,
nam sine te nil póssumus.

Peccándo nos pollúimus;
ut éxpies depóscimus,
ne tuum domicílium
sit umquam cibus ígnium.

Trínitas ineffábilis,
et lux inaccessíbilis,
ure per ignem géminum
nostrárum sordes méntium.

Verum lumen ac spléndidum,
cor tepens redde férvidum,
cæcas mentes illúminans
et mortis umbras términans.

Tibi virtus et glória,
laus, decus et poténtia,
qui tua nobis grátia
concédas vitæ gaúdia.

PSALMODIA

1 Psalmus 72

Ænigma prosperitatis impiorum

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (Mt 5, 5)

Ant. Quam bonus est Deus * eis qui puro sunt corde.

Quam bonus rectis est Deus, *
Dóminus eis qui puro sunt corde!
Mei autem fere nutárunt pedes, *
pene lapsi sunt gressus mei,
Quia ímpiis invidébam, *
prosperitátem peccatórum obsérvans.
Nulla enim sunt iis torménta, *
sanum et pingue est corpus eórum.
In ærúmnis mortálium non versántur, *
et cum homínibus non flagellántur.

Ideo cingit eos, ut torquis, supérbia, *
 et violéntia, ut vestis, óperit eos.
Prodit ex crasso iníquitas eórum, *
 erúmpunt figménta mentis.
Irrídent et loquúntur malígne, *
 oppressiónem ex alto minántur.
Aggrediúntur cælum ore suo, *
 et lingua eórum perstríngit terram.
Ideo pópulus meus se convértit ad eos, *
 et aquas abundántes sorbent sibi.
Et dicunt: « Quómodo scit Deus, *
 et estne cognítio in Altíssimo? »
Ecce tales sunt peccatóres *
 et, semper tranquílli, poténtiam augent.

Ant. Quam bonus est Deus eis qui puro sunt corde.

2 Psalmus 72[2]

Ant. Mundum servávi cor meum, * et lavi in innocéntia manus meas.

Ergóne frustra mundum servávi cor meum, *
 et lavi in innocéntia manus meas?
Nam flagélla pátior omni témpore, *
 et castigatiónem cotídie.
Si cogitárem: Loquar ut illi, *
 genus filiórum tuórum deseruíssem.
Meditábar ergo, ut cognóscerem hoc; *
 sed laboriósum visum est mihi,
Donec intrávi in sancta Dei, *
 et atténdi fini illórum.
Vere in via lúbrica cóllocas eos, *
 præcípitas eos in ruínas.
Quómodo corruérunt moménto, *
 desiérunt, absúmpti sunt magno terróre!
Sicut sómnium, cum quis evígilat, Dómine, *
 ita, cum surréxeris, spernes figméntum eórum.

Ant. Mundum servávi cor meum, et lavi in innocéntia manus meas.

3 Psalmus 72[3]

Ant. Mihi bonum est * pónere in Dómino Deo refúgium meum.

Quando exasperabátur mens mea, *
et cor meum pungebátur,
Ego insípiens eram neque intellegébam: *
ut iuméntum fui coram te.
Ego autem semper tecum ero; *
apprehendísti manum déxteram meam;
Consílio tuo dedúces me, *
et in glóriam tandem suscípies me.
Quis præter te mihi est in cælo? *
et, si tecum sum, non deléctat me terra.
Déficit caro mea et cor meum, *
Petra cordis mei et pars mea Deus in ætérnum.
Ecce enim, qui recédunt a te, períbunt, *
perdis omnes qui fornicántur abs te.
Mihi autem bonum est prope Deum esse, *
pónere in Dómino Deo refúgium meum.
Enarrábo ómnia ópera tua *
in portis fíliæ Sion.

Ant. Mihi bonum est pónere in Dómino Deo refúgium meum.

℣. In via testimoniórum tuórum delectátus sum.
℟. Sicut in ómnibus divítiis.

LECTIONES

Prima lectio

De Epístola ad Romános. 12, 1-21

Vita nova in cultu spirituali

Obsecro vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum. Et nolíte conformári huic sǽculo, sed reformámini in novitáte sensus vestri, ut probétis quæ sit volúntas Dei bona et benéplacens et perfécta. Dico enim per grátiam quæ data est mihi ómnibus qui sunt inter vos: non plus sápere quam opórtet sápere, sed sápere ad sobrietátem, et unicuíque sicut Deus divísit mensúram

fídei. Sicut enim in uno córpore multa membra habémus; ómnia autem membra non eúndem actum habent. Ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra. Habéntes autem donatiónes secúndum grátiam quæ data est nobis differéntes, sive prophetíam secúndum ratiónem fídei, sive ministérium in ministrándo, sive qui docet in doctrína; qui exhortátur in exhortándo, qui tríbuit in simplicitáte, qui præest in sollicitúdine, qui miserétur in hilaritáte.

Diléctio sine simulatióne, odiéntes malum, adhæréntes bono, caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes, honóre ínvicem præveniéntes, sollicitúdine non pigri, spíritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gaudéntes, in tribulatióne patiéntes, oratióni instántes, necessitátibus sanctórum communicántes, hospitalitátem sectántes. Benedícite persequéntibus vos; benedícite et nolíte maledícere. Gaudére cum gaudéntibus, flere cum fléntibus, idípsum ínvicem sentiéntes; non alta sapiéntes, sed humílibus consentiéntes. Nolíte esse prudéntes apud vosmetípsos. Nulli malum pro malo reddéntes; providéntes bona non tantum coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus. Si fíeri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habéntes; non vosmetípsos defendéntes caríssimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindícta, ego retríbuam, dicit Dóminus. Sed si esuríerit inimícus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim fáciens carbónes ignis cóngeres super caput eius. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

Responsorium — Rm 12, 2; Eph 4, 23. 24

℟. Reformámini in novitáte spíritus vestri, * Ut probétis quæ sit volúntas Dei bona, et benéplacens et perfécta.

℣. Renovámini spíritu mentis vestræ, et indúite novum hóminem. * Ut probétis.

Lectio altera

Augustinus, *De Civitate Dei*, X, 6; CC 47, 278-279

Hoc est sacrificium Christianorum:
multi unum corpus in Christo

O*bsecro ítaque Vos, fratres, per miseratiónem Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivam, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum.* Si ergo corpus, quo inferióre tamquam fámulo vel tamquam instruménto útitur ánima, cum eius bonus et rectus usus ad Deum refértur, sacrifícium est: quanto magis ánima ipsa cum se refert ad Deum, ut igne amóris eius accénsa formam concupiscéntiæ sæculáris amíttat eíque tamquam incommutábili formæ súbdita reformétur, hinc ei placens, quod ex eius pulchritúdine accéperit, fit sacrifícium! Quod idem apóstolus consequénter adiúngens: *Et nolíte*, inquit, *conformári huic sǽculo; sed reformámini in novitáte mentis vestræ ad probándum vos quæ sit volúntas Dei, quod bonum et bene plácitum et perféctum.*

Cum ígitur vera sacrifícia ópera sint misericórdiæ sive in nos ipsos sive in próximos, quæ referúntur ad Deum; ópera vero misericórdiæ non ob áliud fiant, nisi ut a miséria liberémur ac per hoc ut beáti simus (quod non fit nisi bono illo, de quo dictum est: *Mihi autem adhærére Deo bonum est*): profécto effícitur, ut tota ipsa redémpta cívitas, hoc est congregátio societásque sanctórum, universále sacrifícium offerátur Deo per sacerdótem magnum, qui étiam se ipsum óbtulit in passióne pro nobis, ut tanti cápitis corpus essémus, secúndum formam servi. Hanc enim óbtulit, in hac oblátus est, quia secúndum hanc mediátor est, in hac sacérdos, in hac sacrifícium est.

Cum ítaque nos hortátus esset apóstolus, ut exhibeámus córpora nostra hóstiam vivam, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium nostrum, et non conformémur huic sǽculo, sed reformémur in nóvitate mentis nostræ: ad probándum quæ sit volúntas Dei, quod bonum et bene plácitum et perféctum, quod totum sacrifícium nos ipsi sumus: *Dico enim*, inquit, *per grátiam Dei, quæ data est mihi, ómnibus, qui sunt in vobis, non plus sápere, quam opórtet sápere, sed sápere ad temperántiam; sicut unicuíque Deus partítus*

est mensúram fídei. Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eósdem actus habent: ita multi unum corpus sumus in Christo; sínguli autem alter altérius membra, habéntes dona divérsa secúndum grátiam, quæ data est nobis. Hoc est sacrifícium Christianórum: *multi unum corpus in Christo.* Quod étiam sacraménto altáris fidélibus noto frequéntat ecclésia, ubi ei demonstrátur, quod in ea re, quam offert, ipsa offerátur.

Responsorium

℟. Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

℣. Omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi, Ierúsalem, fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent. * In domum.

CONCLUSIO

℣. Dóminus vobíscum vel Dómine, exáudi.

Orémus. Oratio

Deus, qui nos in tantis perículis constitútos, pro humána scis fragilitáte non posse subsístere, da nobis salútem mentis et córporis, ut ea quæ pro peccátis nostris pátimur, te adiuvánte vincámus.

Per Dóminum.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

AD LAUDES

INTRODUCTIO HORÆ

℣. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Allelúia.

Nisi præmittenda sit introductio totius Officii, p. 19.

HYMNUS

Splendor patérnæ glóriæ,
de luce lucem próferens,
lux lucis et fons lúminis,
diem dies illúminans,

Verúsque sol, illábere
micans nitóre pérpeti,
iubárque Sancti Spíritus
infúnde nostris sénsibus.

Votis vocémus et Patrem
Patrem perénnis glóriæ,
Patrem poténtis grátiæ,
culpam relèget lúbricam.

Infórmet actus strénuos,
dentem retúndat ínvidi,
casus secúndet ásperos,
donet geréndi grátiam.

Mentem gubérnet et regat
casto, fidéli córpore;
fides calóre férveat,
fraudis venéna nésciat.

Christúsque nobis sit cibus,
potúsque noster sit fides;
læti bibámus sóbriam
ebrietátem Spíritus.

Lætus dies hic tránseat;
pudor sit ut dilúculum,
fides velut merídies,
crepúsculum mens nésciat.

Auróra cursus próvehit;
Auróra totus pródeat,
in Patre totus Fílius
et totus in Verbo Pater.

Amen.

PSALMODIA

1. Psalmus matutinalis

Psalmus 89

De Deo æterno, refugio hominis in brevitate vitæ

Unus dies apud Dominum sicut mille anni,
et mille anni sicut unus dies (*2 Petr 3, 8*)

Ant. Dómine, * refúgium factus es nobis.

Dómine, tu fuísti refúgium nobis *
a generatióne in generatiónem.
Priúsquam montes gigneréntur
et nascerétur terra et orbis, *
et ab ætérno in ætérnum tu es, Deus.
Revérti iubes mortáles in púlverem,
et dicis: « Revertímini, fílii hóminum ».
Nam mille anni in óculis tuis
tamquam dies hestérnus sunt qui transívit, *
et tamquam vigília noctúrna.
Abripis eos: fiunt ut sómnium matutínum, *
ut herba viréscens:
Mane floret et viret, *
véspere succíditur et aréscit.
Vere consúmpti sumus ira tua, *
et indignatióne tua conturbáti.
Posuísti culpas nostras in conspéctu tuo, *
peccáta nostra occúlta in lúmine vultus tui.
Nam omnes dies nostri transiérunt in ira tua; *
finívimus annos nostros ut suspírium.
Summa annórum nostrórum
sunt septuagínta anni, *
et, si válidi sumus, octogínta;
Et pleríque eórum sunt labor et vánitas: *
nam cito tránseunt et nos avolámus.
Quis perpéndit poténtiam iræ tuæ, *
et pro débito tibi timóre indignatiónem tuam?
Dinumeráre nos doce dies nostros, *
ut perveniámus ad sapiéntiam cordis.
Revértere, Dómine, — quoúsque? *
et propítius esto servis tuis.

Sátia nos cito misericórdia tua, *
ut exsultémus et lætémur cunctis diébus nostris.
Lætífica nos pro diébus quibus nos afflixísti, *
pro annis quibus vídimus mala.
Appáreat servis tuis opus tuum, *
et glória tua fíliis eórum;
Et bónitas Dómini Dei nostri sit super nos,
et opus mánuum nostrárum secúnda nobis, *
et opus mánuum nostrárum secúnda.

Ant. Dómine, refúgium factus es nobis.

2 Canticum ex Vetere Testamento

Is 42, 10-16

Ant. Ponent Dómino glóriam, * et laudem eius in ínsulis nuntiábunt.

Cantáte Dómino cánticum novum, *
laus eius ab extrémis terræ.
Qui descénditis in mare, et plenitúdo eius, *
ínsulæ et habitatóres eárum.
Sublevétur desértum et civitátes eius, *
in dómibus habitábit Cedar:
Laudáte, habitatóres petræ, *
de vértice móntium clamábunt.
Ponent Dómino glóriam, *
et laudem eius in ínsulis nuntiábunt.
Dóminus sicut fortis egrediétur, *
sicut vir præliátor suscitábit zelum.
Vociferábitur et clamábit: *
super inimícos suos confortábitur.
Tácui semper, sílui, pátiens fui, *
sicut partúriens loquar:
Dissipábo et absorbébo simul,
desértos fáciam montes et colles, *
et omne gramen eórum exsiccábo:
Et ponam flúmina in ínsulas, *
et stagna arefáciam.
Et ducam cæcos in viam, quam nésciunt, *
et in sémitis, quas ignoravérunt, ambuláre eos fáciam
Ponam ténebras coram eis in lucem, *
et prava in difrécta.

Ant. Ponent Dómino glóriam, et laudem eius in ínsulis nuntiábunt.

3. Psalmus laudativus

Psalmus 145

Hymnus de creatore, adiutore et rege æterno

Laudamus Dominum in vita nostra,
id est in moribus nostris (*Arnobius iun.*)

Ant. Laudábo * Dóminum in vita mea.

Lauda, ánima mea, Dóminum;
laudábo Dóminum in vita mea; *
psallam Deo meo quámdiu ero.
Nolíte confídere in princípibus, *
in hómine, per quem non est salus.
Cum exíerit spíritus eius,
revertétur in terram suam; *
tunc períbunt ómnia consília eius.
Beátus, cuius adiútor est Deus Iacob, *
cuius spes in Dómino Deo suo,
Qui fecit cælum et terram, *
mare, et ómnia quæ in eis sunt;
Qui servat fidem in ætérnum,
reddit ius oppréssis, *
panem dat esuriéntibus.
Dóminus solvit captívos, *
Dóminus áperit óculos cæcórum.
Dóminus érigit curvátos, *
Dóminus díligit iustos.
Dóminus custódit peregrínos,
pupíllum et víduam susténtat, *
viam autem peccatórum pertúrbat.
Regnábit Dóminus in ætérnum, *
Deus tuus, Sion, in generatiónem et generatiónem.

Ant. Laudábo Dóminum in vita mea.

LECTIO BREVIOR Idt 8, 21b-23

Loco huius lectionibus brevis, fieri potest lectio longior pro opportunitate celebrationis sive cum populo sive sine populo, eligenda e lectionibus quae statuuntur pro Missa aut pro Officio lectionis.

Mementóte quia tentáti sunt patres nostri, ut probaréntur si vere cólerent Deum suum. Mementóte quómodo pater noster Abraham tentátus est; et, per multas tribulatiónes probátus, Dei amícus efféctus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Móyses et omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles.

Responsorium breve

℟. Sana ánimam meam, * quia peccávi tibi. Sana.
℣. Ego dixi: Dómine, miserére mei. Quia.
Glória Patri. Sana ánimam.

CANTICUM ZACHARIÆ Luc 1, 68-79

Ant. Benedíctus * Dóminus, Deus Israël, quia visitávit, et liberávit nos.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, *
quia visitávit et redémit pópulum suum,
Et eréxit cornu salútis nobis *
in domo David servi sui,
Sicut locútus est per os sanctórum, *
qui olim fuérunt, prophetárum suórum:
Ut liberáret nos ab inimícis nostris, *
et e manu ómnium qui odérunt nos,
Ut fáceret misericórdiam cum pátribus nostris, *
et recordarétur fœderis sui sancti:
Iurisiurándi, quod iurávit Abrahæ, patri nostro, *
datúrum se nobis,
Ut sine timóre,
e manu inimicórum nostrórum liberáti, *
serviámus illi,
In sanctitáte et iustítia coram ipso *
ómnibus diébus nostris.
Et tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis: *
præíbis enim ante fáciem Dómini
ad parándas vias eius,

Ad dandam pópulo eius sciéntiam salútis *
in remissióne peccatórum eórum,
Per víscera misericórdiæ Dei nostri, *
qua visitábit nos Oriens ex alto,
Ut illúminet eos,
qui in ténebris et in umbra mortis sedent, *
ut dírigat pedes nostros in viam pacis.

Ant. Benedíctus Dóminus, Deus Israël, quia visitávit, et liberávit nos.

PRECES CONCLUSIVÆ

℣. Dóminus vobíscum vel Dómine, exáudi.

Cf. Rubricam p. 35.

Orémus, fratres caríssimi, Deum Patrem omnipoténtem, qui preces filiórum suórum propítius semper audit, et ei dicámus: *Fílios tuos, Dómine, custódi.*

Dies noster, omnípotens ætérne Deus, sanctificátus sit tibi,
qui in Baptísmate per Solem iustítiæ nos illumináasti.

Sapiéntiam tuam ætérnam da nobis,
ut nobíscum sit hodie ac nobíscum labóret.

Dignáre, Dómine, die isto sine peccáto nos custodíre
et supérna tua grátia nos ditáre.

Auxiliátor fias nobis et protéctor.
Concórdiam et pacem concéde.

Pater noster, ab omnibus clara voce dicendum.

Oratio

Deus, qui custodiéndam colendámque terram homínibus commisísti, ac solis fecísti lumen eórum úsui deservíre,
da nobis hódie in tuam glóriam et proximórum bonum
te illustránte laboráre fidéliter.
Per Dóminum.

Si Officium celebratur cum populo, sacerdos populum benedicit more consueto.

In recitatione a solo:

℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

AD HORAM MEDIAM

INTRODUCTIO

℣. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Allelúia

HYMNUS

Eligendus iuxta tempus quo Officium celebratur.

Ad Tertiam

Nunc, Sancte, nobis Spíritus,
unum Patri cum Fílio,
dignáre promptus íngeri
nostro refúsus péctori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
confessiónem pérsonent,
flamméscat igne cáritas,
accéndat ardor próximos.

Per te sciámus da Patrem,
noscámus atque Fílium,
te utriúsque Spíritum
credámus omni témpore.

Ad Sextam

Rector potens, verax Deus,
qui témperas rerum vices,
splendóre mane ínstruis
et ígnibus merídiem.

Exstíngue flammas lítium,
aufer calórem nóxium,
confer salútem córporum
verámque pacem córdium.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
cum Spíritu Paráclito
regnans per omne sǽculum.

Ad Nonam

Rerum, Deus, tenax vigor,
immótus in te pérmanens,
lucis diúrnæ témpora
succéssibus detérminans,

Largíre clarum véspere,
quo vita numquam décidat,
sed prǽmium mortis sacræ
perénnis instet glória.

Præsta, Pater, piíssime,
Patríque compar Unice,
cum Spíritu Paráclito
regnans per omne sǽculum.

PSALMODIA

1 Psalmus 118 Phe

Ant. Gressus meos dírige * secúndum elóquium tuum.

Mirabília sunt præscrípta tua, *
ídeo obsérvat ea ánima mea.
Declarátio verbórum tuórum illúminat, *
docet inexpértos.
Os meum apério et áttraho auram, *
quia mandáta tua desídero.
Convértere ad me et miserére mei, *
ut soles erga diligéntes nomen tuum.
Gressus meos dírige secúndum elóquium tuum, *
neque ulla dominétur in me nequítia.
Líbera me ab oppressióne hóminum, *
et custódiam præcépta tua.
Serénum præbe vultum tuum servo tuo, *
et doce me statúta tua.
Rivi aquárum fluxérunt de óculis meis, *
quia non custodiérunt legem tuam.

2 Psalmus 81

Increpatio iudicum iniustorum

Nolite ante tempus iudicare,
quoadusque veniat Dominus (1 Cor 4, 5)

Deus assúrgit in concílio divíno, *
in médio deórum iudícium agit.
« Quoúsque iudicábitis iníque, *
et causæ impiórum favébitis?
Deféndite oppréssum et pupíllum, *
ius réddite húmili et páuperi.
Liberáte oppréssum et egénum: *
de manu impiórum erípite eum ».
Non sápiunt neque intéllegunt,
in ténebris ámbulant: *
commovéntur ómnia fundaménta terræ.
Ego dixi: « Dii estis, *
et fílii Altíssimi omnes.
Verúmtamen sicut hómines moriémini, *
et sicut quivis ex princípibus cadétis ».
Surge, Deus, iúdica terram, *
quóniam tu iure póssides omnes gentes.

3 Psalmus 119

Lamentatio contra linguas iniquas

In tribulatione patientes, orationi instantes (Rom 12, 12)

Ad Dóminum, cum tribulárer, clamávi *
et exaudívit me.
Dómine, líbera ánimam meam a lábio iníquo, *
a lingua dolósa.
Quid dabit tibi aut quid addet tibi, *
lingua dolósa?
Sagíttas poténtis acútas *
et carbónes genistárum.
Heu mihi, quod dego in Mosoch, *
hábito in tentóriis Cedar!
Nímium habitávit ánima mea *
cum iis, qui odérunt pacem.
Ego pacem cum loquor, *
illi urgent ad bellum.

Ant. Gressus meos dírige secúndum elóquium tuum.

CONCLUSIO

Eligenda iuxta tempus, quo Officium persolvitur.

Ad Tertiam

Lectio brevis Lev 20, 26

Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dóminus, et separávi vos a céteris pópulis ut essétis mei.

℣. Adiútor meus esto, ne derelínquas me.
℟. Neque despícias me, Deus salutáris meus.

Orémus Oratio

Auge in nobis, quǽsumus, Dómine, fidem tuam, et Spíritus Sancti lucem in nobis semper accénde. Per Christum.

Ad Sextam

Lectio brevis Bar 4, 21-22

Fílii, clamáte ad Dóminum, et erípiet vos de manu príncipum inimicórum. Ego enim sperávi, et venit mihi gáudium a Sancto.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine.
℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Orémus Oratio

Salva nos, omnípotens Deus, et lucem tuam nobis concéde perpétuam. Per Christum.

Ad Nonam

Lectio brevis Ez 20, 5

Hæc dicit Dóminus Deus: In die qua elégi Israël, levávi manum meam pro stirpe domus Iacob, et appárui eis in terra Ægýpti, et levávi manum meam pro eis, dicens: Ego Dóminus Deus vester.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit.
℟. In loco páscuæ me collocávit.

Orémus Oratio

Véritas tua, quǽsumus, Dómine, lúceat in córdibus nostris, et omnis fálsitas destruátur inimíci. Per Christum.

℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

AD VESPERAS

INTRODUCTIO

℣. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Allelúia.

HYMNUS

Imménse cæli cónditor,
qui, mixta ne confúnderent,
aquæ fluénta dívidens,
cælum dedísti límitem,

Fírmans locum cæléstibus
simúlque terræ rívulis,
ut unda flámmas témperet
terræ solum ne díssipet:

Infúnde nunc, piíssime,
donum perénnis grátiæ,
fráudis novæ ne cásibus
nos error átterat vetus.

Lucem fides invéniat,
sic lúminis iubar ferat;
hæc vana cuncta térreat,
hanc falsa nulla cómprimant.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
cum Spíritu Paráclito
régnans per omne sǽculum.

PSALMODIA

1 Psalmus 135

Hymnus de beneficiis Dei in creatione et historia salutis

Domini res gestas narrare, laudare est (Cass.)

Ant. Confitémini Dómino, * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Laudáte Dóminum, quóniam bonus, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Laudáte Deum deórum, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Laudáte Dóminum dominórum, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Qui fecit mirabília magna solus, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Qui fecit cælos cum sapiéntia, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Qui exténdit terram super aquas, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Qui fecit lúmina magna, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius:
Solem, ut præsit diéi, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius,
Lunam et stellas, ut præsint nocti, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Qui percússit Ægýptios in primogénitis eórum, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Et edúxit Israël e médio eórum, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius,
Manu poténti et brácchio exténto, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Qui divísit Mare Rubrum in partes, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Et tradúxit Israël per médium eius, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Et detrúsit pharaónem et exércitum eius
in Mare Rubrum, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Ant. Confitémini Dómino, quóniam in ætérnum misericórdia eius.

2 Psalmus 135[2]

Ant. Redémit nos, * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Qui duxit pópulum suum per desértum, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Qui percússit reges magnos, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Et occídit reges poténtes, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius:
Sehon, regem Amorrhæórum, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius,
Et Og, regem Basan, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Et dedit terram eórum in possessiónem, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius,
In possessiónem Israël, servo suo, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Qui in humilitáte nostra recordátus est nostri, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Et liberávit nos ab inimícis nostris,
quóniam in ætérnum misericórdia eius.
Qui dat escam omni carni, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius,
Laudáte Deum cæli, *
quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Ant. Redémit nos, quóniam in ætérnum misericórdia eius.

3 Canticum ex Novo Testamento

Eph 1, 3-10

Ant. In Fílio suo * elégit nos Deus in adoptiónem filiórum.

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi. *
qui benédixit nos omni benedictióne spiritáli in cæléstibus in Christo.
Sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem
ut essémus sancti et immaculáti *
in conspéctu eius in caritáte.
Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum *
per Iesum Christum in ipsum.
Secundum propósitum voluntátis suæ
in laudem glóriæ grátiæ suæ *
in qua gratificávit nos in diléсto fílio suo.
In quo habémus redemptiónem per sánguinem eius
remissiónem peccatórum *
secundum divítias grátiæ suæ.
Quæ superabundávit in nobis *
in omni sapiéntia et prudéntia.
Ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ *
secúndum beneplácitum eius.
Quod propósuit in eo per dispensatiónem plenitúdinis
témporum instauráre ómnia in Christo *
quæ in cælis et quæ in terra sunt.

Ant. In Fílio suo elégit nos Deus in adoptiónem filiórum.

LECTIO BREVIOR 1 Th 3, 12-13

Loco huius lectionis brevis, fieri potest lectio longior pro opportunitate celebrationis sive cum populo sive sine populo, eligenda e lectionibus quae statuuntur pro Missa aut pro Officio lectionis.

Vos Dóminus multíplicet, et abundáre fáciat caritátem vestram in ínvicem, et in omnes, quemádmodum et nos in vobis; ad confirmánda corda vestra sine queréla in sanctitáte ante Deum et Patrem nostrum in advéntu Dómini nostri Iesu Christi cum ómnibus sanctis eius.

Responsorium breve

℟. Clamávi in toto corde meo: * Exáudi me, Dómine. Clamávi.

℣. Iustificatiónes tuas requíram. Exáudi me.

Glória Patri. Clamávi.

CANTICUM B. MARIÆ VIRG. Luc 1, 46-55

Ant. Magníficat * ánima mea Dóminum, quia respéxit Deus humilitátem meam.

Magníficat *
ánima mea Dóminum;
Et exsultávit spíritus meus *
in Deo salvatóre meo,
Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: *
ecce enim ex hoc beátam me dicent
omnes generatiónes,
Quia fecit mihi magna qui potens est, *
et sanctum nomen eius,
Et misericórdia eius a progénie in progénies *
timéntibus eum.
Fecit poténtiam brácchio suo; *
dispérsit supérbos mente cordis sui.
Depósuit poténtes de sede, *
et exaltávit húmiles.
Esuriéntes implévit bonis, *
et dívites dimísit inánes.
Suscépit Israël, servum suum, *
recordátus misericórdiæ suæ,
Sicut locútus est ad patres nostros, *
erga Abraham et semen eius in sǽcula.

Ant. Magníficat ánima mea Dóminum, quia respéxit Deus humilitátem meam.

PRECES CONCLUSIVÆ

℣. Dóminus vobíscum vel Dómine, exáudi.
Cf. Rubricam p. 35.

Orémus, frátres caríssimi, Deum Patrem omnipoténtem, qui preces filiórum suórum propítius semper audit, et ei dicámus: *Bénedic pópulo tuo, Dómine.*

Salvum fac pópulum tuum, Dómine,
et bénedic hereditáti tuæ.

Cóngrega in unum, tua unitáte, christiáno nómine decorátos,
ut crédat mundus in Christum, quem misísti.

Grátiam tuam ómnibus amícis nostris confer et notis,
bonúmque Christi odórem in eis diffúnde.

Amórem tuum agonizántibus osténde,
fac ut salútem tuam eórum óculi vídeant.

Erga defúnctos misericórditer age,
eos ággrega quiescéntibus in Christo.

Pater noster, ab omnibus clara voce dicendum.

Oratio

Mane nobíscum, Dómine Iesu, quóniam advesperáscit, et nos cómitans in via, corda réfove,
spem éxcita miserátus,
ut in Scriptúris te et in fráctione panis cum frátribus agnoscámus.
Qui vivis et regnas.

Si Officium celebratur cum populo, sacerdos populum benedicit more consueto.

In recitatione a solo:

℣. Benedicámus Domino.
℟. Deo grátias.

AD COMPLETORIUM

DISCUSSIO CONSCIENTIÆ

Fieri potest discussio conscientiæ, quæ concluditur actu pænitentiali.

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres,
quia peccávi nimis
cogitatióne verbo, ópere et omissióne

et percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem,
omnes Angelos et Sanctos,
et vos, fratres, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

Misereátur nostri, omnípotens Deus,
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos, ad vitam ætérnam.
℟. Amen.

INTRODUCTIO

℣. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Allelúia.

HYMNUS

Christe, qui lux es et dies,
noctis tenébras détegis,
lucísque lumen créderis
lumen beátis prædicans,

Precámur, sancte Dómine,
hac nocte nos custódias;
sit nobis in te réquies,
quiétam noctem tríbue.

Somno si dantur óculi,
cor semper ad te vígilet;
tuáque dextra prótegas
fídeles qui te díligunt.

Defénsor noster, áspice,
insidiántes réprime,
gubérna tuos fámulos
quos sánguine mercátus es.

Sit, Christe, rex piíssime,
tibi Patríque glória
cum Spíritu Paráclito,
in sempitérna sǽcula.

PSALMODIA

1

Psalmus 85

Lamentatio in passione et persecutione

Benedictus Deus, qui consolatur nos
in omni tribulatione nostra (2 Cor 1, 3. 4)

Ant. Salvum fac * servum tuum sperántem in te.

Inclína, Dómine, aurem tuam, exáudi me, *
quia miser et pauper sum ego.
Custódi ánimam meam, quia devótus sum tibi; *
salvum fac servum tuum sperántem in te.
Deus meus es tu: miserére mei, Dómine, *
quia assídue ad te clamo.
Lætífica ánimam servi tui, *
quia ad te, Dómine, ánimam meam attóllo.
Tu enim, Dómine, es bonus et clemens, *
plenus misericórdiæ in omnes qui ínvocant te.
Auscúlta, Dómine, oratiónem meam, *
et atténde ad vocem obsecratiónis meæ.
Die tribulatiónis meæ clamo ad te, *
quia exáudies me.
Non est tibi par inter deos, Dómine, *
et non est opus símile óperi tuo:
Omnes gentes, quas fecísti, vénient
et adorábunt te, Dómine, *
et prædicábunt nomen tuum.
Quia magnus es tu et facis mirabília: *
tu solus es Deus.
Doce me, Dómine, viam tuam,
ut ámbulem in veritáte tua; *
dírige cor meum, ut tímeat nomen tuum,
Celebrábo te, Dómine Deus meus, toto corde meo, *
et prædicábo nomen tuum in ætérnum,
Quia misericórdia tua magna fuit erga me, *
et eripuísti ánimam meam de profúndis inférni.

Deus, supérbi insurrexérunt contra me,
et turba præpoténtium insidiátur vitæ meæ, *
neque te ponunt ante óculos suos.
Sed tu, Dómine, Deus miséricors es et benígnus, *
tardus ad iram, summe clemens et fidélis.
Réspice in me et miserére mei; *
da robur tuum servo tuo,
et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.
Signum da mihi favóris tui,
ut vídeant qui odérunt me, et confundántur, *
quod tu, Dómine, adiúveris me
et consolátus sis me.

Ant. Salvum fac servum tuum sperántem in te.

LECTIO BREVIS Dt 6, 2. 7

Tímeas Dóminum Deum tuum et custódias ómnia mandáta et præcépta eius. Et meditáberis in eis sedens in domo tua et ámbulans in itínere, dórmiens atque consúrgens.

Responsorium breve

℟. In manus tuas, Dómine, * Commméndo spíritum meum. In manus.

℣. Redemísti nos, Dómine, Deus veritátis. Comméndo.

Glória Patri. In manus.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi.
℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

CANTICUM SIMEONIS Luc 2, 29-32

Ant. Salva nos, * Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes; ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, *
secúndum verbum tuum in pace,
Quia vidérunt óculi mei *
salútem tuam,
Quam parásti *
ante fáciem ómnium populórum,
Lumen ad revelatiónem géntium *
et glóriam plebis tuæ Israël.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes; ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

CONCLUSIO

℣. Dóminus vobíscum vel Dómine, exáudi.

Orémus Oratio

Quiétem, Dómine, corpóribus nostris tríbue salutárem,
et quæ fúdimus hódie sémina per labórem,
fac ut messem gérminent sempitérnam.
Per Christum.

Benedictio

Benedícat et custódiat nos omnipótens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus. Amen.

Et dicitur immediate una ex finalibus B. Mariæ Virginis antiphonis.

Ave, Regína cælórum,
Ave, Dómina Angelórum:
Salve, radix, salve, porta,
Ex qua mundo lux est orta:
Gaude, Virgo gloriósa,
Super omnes speciósa,
Vale, o valde decóra,
Et pro nobis Christum exóra.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.
℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Orémus Oratio

Concéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut, qui sanctæ Dei Genetrícis memóriam ágimus; intercessiónis eius auxílio, a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúndem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Postea subiungitur:

℣. Divínum auxílium máneat semper nobíscum.
℟. Amen.

INDEX